

cibus, e quibus se tum demum lucrum cepisse arbitrat, cum largiendo jacturam fecit.

§. II.

Ejusdem appellationis origo.

Liberalitas inprimis decet hominē.

Est necessaria ad tradendas mutuas operas.

Græcis Liberalitas ἐλευθεριότης dicitur, ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας, quod vocabulum libertatem significat, cum ut liberi hominis est se ipsum regere, ac ire quo vult, sic quoque liberalis sibi ipsi regula sit, nulloque affectu impediatur, sed libere atque hilari animo beneficia conferat: unde a Romanis etiam artes *Liberales* vocabantur, quæ liberis & ingenuis hominibus demandabantur, quæque tales efficiebant possessores suos. Atque hæc ipsa virtus inprimis decet hominem. Ut enim taceam scholæ stylo omne bonum esse communicativum sui, hæc ratio potissimum habet momentum, quod liberalis imitetur Deum, qui infinitos thesauros recludit, cujusque bonitas inexhaustum est penus. Unde Pythagoras interrogatus qua ratione homines Deo similes haberi possent, recte respondit: si veritatem amplecterentur, & cunctis beneficerent. Estque omnino necessaria liberalitas & voluntas officiosa ad tradendas mutuas operas. Singuli enim pro facultate ac modulo juvare possunt communem statum, alii regendo, alii docendo, alii consilio, alii ope. Quo pertinet apologus de cæco & claudo, qui in via congressi suas utrinque ærumnas exponunt, tandemque rebus suis ita consulunt, ut mutuas operas accommodent. Claudus scilicet, quia oculos integros habet, cæcum

re-